

num, 2) Cellense, 3) Grubenhagenense, & 4) Hannoueranum alio nomine (p. 702.) Calenbergicum. Addi his possunt vota CVRIATA quatuor: 1) Hoiense, 2) Diepholdanum penes Principem Cellensem, 3) Blanckenburgense, 4) Walkenridanum penes Wolfenbuttelanos.

Satis haec docent, olim vota non cum principatuum, sed regentium Principum numero aucta fuisse. Semel tamen aucta conseruare studebant successores. Hinc est, quod a) in vno (p. 705. sq.) ducatu quatuor vota habeamus; b) Hannoueranus Princeps duabus portionibus imperans duo etiam vnus dicat. Quae in posterum in Comitibus, Hannouerano Electoratu constituto, facies eorum futura sit? nondum expeditum est.

§. XXVII. VENETO PATRIATV, non paruo honoris ac amicitiae argumento, Principes nostri ab ordinibus istius reipublicae cohonestati sunt.

Exempla Erici 1580. iunioris Calenbergici (p. 686.) & Iohannis Friderici anno 1668. (p. 702.) qui vterque aureae matriculae, dem güldenem Buch des Venetianischen Adels, inserti sunt. An is honor Principe S. R. I. dignus sit? non in Italia, ubi is magni fit; sed in Germania dubitatum esse, memini. De honore nobilitatis Venetae Sabellius, Nanus, Iustianus alii plures.

§. XXIX. Id etiam praecipui habent Principes nostri, quod cum de aliis literarum studiis; tum de GERMANICAE inprimis LINGVAE cultura optime meriti sint.

Exempla Principum eruditorum p. 691. sqq. habuimus. In meritis de vernaculae cultura argumenta sunt, a) quod sex nostrorum Principum in societate esse linguae Germanicae recuperatorum, der Fruchtbringenden Gesellschaft, in deliciis habuerint; vtpote Fridericus Vlricus (p. 686. 691. sq.) anno 1621. Augustus anno 1634. Georgius eodem anno: Christianus Ludouicus anno 1642. de aliis p. 697. scripsimus; b) plerique eorum elegantiam vernaculae scriptis quoque